

/ Illustrissime, ~~et~~ Reverendissime Domine. Explicatio psalmorum
 a me nuper edita, non mihi laboriosa, sed iucundissima fuit: ni-
 hil enim dulcius mihi accidere potest, presertim in hac mea extre-
 ma aetate, quam aliquantula requies nocturna, in qua vacare Deo
 5 possim, et cogitare, quoniam Dominus ipse est Deus; quod certe prae-
 stat attenta meditatio Davidicorum psalmorum. Sed ago Deo gratias,
 quod non solum mihi scriptio illa, alioqui satis levis et ieiuna,
 consolationem attulerit, dum fieret; sed etiam aliis viris gravis-
 simis, in quorum numero inter primos pono Illustrissimam, et Reve-
 10 rendissimam D. Vestram, non omnino displicuerit. Quod attinet ad
 Praepositurae negotium, quod mihi Illustrissima, et Reverendissima
 D. Vestra commendare dignata~~m~~ est, egi cum Sanctissimo Patre Nos-
 tro, ex exposui Sanctitati Suae rationes, ob quas aequum sit per-
 mittere electionem Praepositi Capituli Cathedralis Ecclesiae Her-
 15 bipolensis; ipse vero libenter me audivit, et super hac re mature
 cogitaturum se respondit. Si opus fuerit, et Illustrissimus, et Re-
 ve rendissimus Bambergensis id mihi consuluerit, non omittam ite-
 rum, atque iterum de hac re cum Sanctitate Sua agere. Interim ego
 non possum omittere, quin Illustrissimae, et Reverendissimae D. Ves-
 20 trae serio, et ex corde commendem Franciscum N. quem Amplitudo ves-
 tra optime novit. Ego quidem egi cum Sanctissimo, ut provideatur
 filio eius de canonicatu aliquo pingui, quo ipse cum filiis hones-
 te sustentari queat; sed quoniam istae provisiones non possunt bre-
 vi tempore expediri, obsecro liberalitatem vestram, ut interim ali-
 25 quid addat ad ea, quae saepe hactenus largita est. Itaque hoc totum
 ex me scribo: ipse enim D. Franciscus commemoravit quidem in litte-
 ris ad me datis cum gratiarum actione quam eleemosinam a pietate
 vestra accipiat; sed non rogavit me, ut agerem cum Illustrissima
 D. V. pro augmento, sed solum, ut impetrarem filio eius beneficium a
 30 Summo Pontifice. Sed ego misertus inopiam illius, et confisus de be-
 nignitate tanti, et tam divitis principis, ausus sum illum his litte-
 ris comendare. Opto Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum meum
 Epist. fam. XCVIII